Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 329
Quelle:
Copyright:

principum imperii uestri nobis demandastis, pro qua sola salute uobis mille salutes remandauimus, et quia uos diligimus, et honori uestro bene cupimus, pro mutua dilectione, qua indissolubiliter uobis astricti tenemur, omnes barones et regni nostri primates uos et uestros diligunt. Inter cetera scire debetis, quia quidam ienuenses, qui prędictum Albricum legatum uestrum comitabantur, non legatum uestrum sed cancellarium uestrum ipsum asserebant multa mala de uobis prędicantes. (An pro *asserebant* legendum *accusabant?* An Cancellarii ἐπίθετον puta *infidum, corruptum* &c. omissum? An scribendum erat *praedicantem?*) *Quare in dubitationem uersi propositum nostrum et legati uoluntatem adimplere distulimus. Veruntamen ob hoc nullatenus praetermittere uoluimus, quin huius rei ueritatem inuestigare uellem, inde quoque fidelem nostrum sapientem quidem et multitudine legum butair* (Ebu Taher?) *esmair* (Ismail?) *imbutum ad vos transmitterem, quem deus conducat. Rogamus ergo benignitatem uestram, ut eum, sicut decet excellentiam uestram, honoretis scientes, quia, qui honorat legatum, honorat et dominum. Ceterum, si placuerit uobis cum prędicto legato uestrum legatum cum litteris uestris nobis transmittere, nos tocius negocii seriem, statim ut ueritatem et certitudinem inde cognouerimus, iuxta honorem uestrum et uoluntatem uestram ad effectum perducemus, et, sicut superius diximus, corda nostra semper coniuncta erunt, quamuis longa terrarum spacia corpora nostra separata habeant. Data babilonię medio mense Aprili.* Integram exhibui; nusquam enim hactenus ejus mihi mentio oblata est. Anterior sit oportet anno 1188. nam ad h. a. *Goldastus* T. III. *Constit. Imperial.* p. 362. Mandatum Diffidatorium *Friderici* I. ad *Saladinum* refert alia jam spirans. Ejus tamen ingressus: *Devotionis tuae litteras multis retro temporibus ad nos destinatas — suscepimus* &c. fortassis ad praesentem Epistolam adludit; quae vix inter fictitias, quarum *Maimburgius* in *Hist. des Croisad.* meminit, censeri possit.

CCXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 188. f. maj. per duas columnas elegantissime scriptus, frontibus Librorum, literisque initiorum venuste deauratus et picturatus, quondam *monasterij Sancte Dorothee Canonicor. regularium wienne*, inscribitur I. *Incipit exposicio Ricardi. Super Apocalipsim. Et sequitur. Richardus* hic est S. *Victoris Paris.* Canonicus reg. gente *Scotus*, Ascetes insignis ✠ a. 1173. Prologus prior hujus expositionis infit: *Accipe itaque frater karissime hoc sententiarum munus* &c. Alter: *Beatus iohannes celestium misteriorum theologus* &c. ipsa Expositio in VII. Libros et capita divisa: *Deus immensus et eternus* &c. Extat impressa cum reliquis Viri Scriptis R. 2292